



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Quantitas est in materia restitutionis consideranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

*Quantitas est in materia restitutionis
consideranda.*

C Aput ergo tertium, quantum est restituendum; constat oportere restitui æquale. Vt autem discernatur & perueniatur ad restituendum æquale, oportet distinguere de certa vel incerta quantitate rei seu damni. Si namque quantitas rei seu damni est certa, opus est vt tantundem restituatur quantum ablatum, seu in quanto damnificatus quis est. Si verò incerta est quantitas (vt contingit in damnis iniuriarum, percussionum, iurium pendentium, seminum lucri cessantis, & similibus) restituendum est tantum quantum vir bonus arbitrabitur, consideratis singularibus negotiis, temporis, loci, personarum, &c. Debet autem vir bonus arbitrari tantum quantum ad æquiualens exigitur si fieri potest: quod si fieri nequit, conetur appropinquare ad æquale quantum fieri potest.

Restitutio cui fit facienda.

C Aput quartum, cui restituendum est. Distingue de causa restitutionis, an sit acceptio iniusta, an solum res accepta. Nam si ex sola re aliena confurgit restitutio, reddenda est regulariter domino rei: & appellatione domini intellige illum cui debetur: siue perseuerauerit dominium apud eum, siue translatum sit, siue sit verus dominus, siue dispensator, vt Prælati Ecclesiastici. Dixi autem regulariter: quia in aliquo casu (puta si Prælati est dilapidator rerum Ecclesiæ, & experientia teste dilapidabit etiam hæc) non ei, sed illi Ecclesiæ quæ est vera domina, restitutio in foro conscientie fieri potest & debet, conuertendo restituendas res in vtilitatem illius Ecclesiæ, habito (si fieri commodè potest) vt seruetur etiam omnis iustitie modus, consensu superioris. Simile autem est iudicium